444
444
E 23
E
23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

47.
KW 444 E 23

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS
DE
EXERCITORIA ACTIONE.

QUAM

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. CAROLI DRELINCURTII,
Regii olim in Galliis Medici, nunc verò in hac Univerſitate Profeſſorum Antiquiſſimi,

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Nobiliſſimæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Publico examini ſubjicit

THEODORUS ZAS, M. INDO-BAT.

Ad diem 12 Martii horâ, locoque ſolitis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXVIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Plurimum Reverendo, Doctiſſimo Viro,

D. THEODORO ZAS, Verbi Divini apud Indo-Batavos Præconi fideliſſimo, facundiſſimo, Parenti meo omni reverentia ac pietate ſemper proſequendo.

UT ET

D. CORNELIO van HERFF, Apud Dordracenos Mercatori ſolertiſſimo, Patruo meo per affinitatem plurimum honorando.

Nobiliſſimo, Ampliſſimo Spectatiſſimoque Viro.

D. D. JOHANNI MASSIS, Reipublicæ Roterodamenſis Senatori Graviſſimo ac Ablegato ad Conſilium Illuſtriſſ. & Præpot. D. D. Ordinum Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ ordinario, Tutori meo Parentis inſtar ſemper habendo.

NEC NON

Clariſſimis, Doctiſſimis ac Celeberrimis Viris,

D. D. ANTONIO MATHÆO, Promotori meo.
D. D. JOHANNI VOET.
D. D. PHILIPPO REYNHARDO VITRIARIO.
D. D. GERARDO NOODT, J. U. D. D. Ejuſdemque facultatis in hac Alma Lugduno-Batava Academia Profeſſoribus ordinariis, omni honore proſequendis, colendis.

Hanc Diſputationem Inauguralem
in grati animi *τεκμήριον*
D. D. D.
THEODORUS ZAS,
Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
EXERCITORIA ACTIONE.

CAP. I.

QUamvis de mero Jure Civili ex contractu alterius non poſſit obligari alter *l.* 11. §. *6. de pign. act. & t. t. C. ne filius pro patre &c.* Quamvis etiam ei qui contrahere vult, imprimis id faciendum incumbat, ut,ſi alterius conditionem ignoret, in eam inquirat antequam contrahat *l. 19. de R. I.* ſæpe tamen accidit, ut commerciorum ratio ab utriſque his regulis non nihil recedi debere dictet.

 Hæc

Hac proinde ratione, ut commodius mercatura queat exerceri, nec ipſi mercatores ubicunque locorum, ubi negotiari volunt, præſentes eſſe cogantur, ſed per alios negotia ſua expedire poſſint, quibus tamen plerumque alii parum haberent fidei, varias actiones, ſive potius actionum adjectitias (ut vulgo loquimur) qualitates, Prætor introduxit, quales ſunt exercitoria, inſtitoria aliæque variæ. Quæ dantur quidem ex alterius facto, ita tamen, ut etiam is qui ob id conveniri poteſt, in id vel expreſſe vel tacite conſenſerit, & ſic etiam ob proprium factum teneri videatur.

Mihi in hac diſputatione primam tantummodo elegi explicandam, cujus utilitatem his verbis deprædicat Ulpianus. *Vtilitatem hujus edicti patere, nemo eſt, qui ignoret. Nam cum interdum ignari cujus ſint conditionis, vel quales, cum magiſtris propter navigandi neceſſitatem contrahamus, æquum fuit, eum, qui magiſtrum navi impoſuit, teneri: ut tenetur qui inſtitorem tabernæ, vel negotio præpoſuit: Cum ſit major neceſſitas contrahendi cum magiſtro, quam inſtitore: quippe res patitur, ut de conditione quis inſtitoris diſpiciat, & ſic contrahat: in navis magiſtro non ita. Nam interdum locus, tempus, non patitur plenius deliberandi conſilium l. 1. h. t.*

CAP. II.

Dicitur ergo *Exercitoria* ab exercitore, contra quem hæc actio datur; *is autem*, definiente Ulpiano, *eſt*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

eſt, ad quem omnes obventiones atque reditus ex nave perveniunt l. 1. §. 15. h. t. de quo plura infra : *Eſt autem condictio Prætoria, quæ datur iis, qui cum magiſtro vel Promagiſtro navis contraxerunt de rebus ad magiſterium ejus pertinentibus, adverſus exercitorem, ad præſtandum id quod ex contractu magiſtri actori debetur.*

CAP. III.

Verba ergo prima definitionis indicant, cui hæc actio detur, *illis videlicet qui cum magiſtro vel promagiſtro navis contraxerunt de rebus ad magiſterium ejus pertinentibus.*

Magiſter eſt is cui totius navis cura mandata eſt *l.* 1. §. 1. *h. t.*

Promagiſter quem magiſter ſui magiſterii vicarium præfecit, & quidem ſine permiſſu exercitoris, ſi enim is ſcierit paſſuſque fuerit eum in nave magiſterio fungi, ipſe eum impoſuiſſe videtur. *l.* 1. *§.* 5. *h. t.* atque adeo hic non pro Promagiſtro ſed magiſtro eſſet habendus. Cujus conditionis ſit magiſter vel Promagiſter, liber an ſervus, proprius an alienus, pubes an impubes, nihil intereſt *l.* 1. *§.* 4. *h. t. l* 7. §. 1. *&* 2. *ff. de inſt. act.* Conditio enim perſonæ præpoſitæ non debet impedire humanitatem Prætoris, nam ſive ſervus ſive liber homo adminiſtrationi alicui præponatur, ſemper is qui eum præponit eo animo eſſe intelligitur, ut velit in ea adminiſtratione factum præpoſiti præſtare, ne contrahentes, qui præponentis magis quam præpoſiti fidem ſequuntur, decipiantur. Eſtque hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

æquiſſimum, ut quorum ex contractu commoda percipimus, eorum quoque in eadem cauſa facta agnoſcamus *l. 1. ff. d. inſt. act. & arg. l. 10. de R. I.*

Facit autem Prætor tantum mentionem magiſtri vel promagiſtri; non enim actio hæc locum habet, ſi cum alio quolibet nautarum ſit contractum *l. 1. §. 2. h. t.* quamquam ex delicto cujuſvis eorum qui navis navigandæ cauſa in nave ſint, conveniri poſſit exercitor, cum his enim non quidem contrahi permittit, ſed tamen dolo & culpa eos carere, curare debet *d. l. 1. §. 2. h. t.*

Navis. Navem hic accipimus ſive marinam ſive fluviatilem, ſive in aliquo ſtagno naviget ſive ſchedia ſit *l 1. §. 4 h. t.*

Contraxerunt. Ergo inter actorem & magiſtrum legitimus aliquis contractus debet præceſſiſſe, ex quo actio principalis poſſit naſci; eaque vi Prætoriæ æquitatis contra exercitorem inſtitui: ſed non ſufficit qualiſcunque contractus & de quacunque re: ita enim in poteſtate foret magiſtri etiam in infinitum exercitorem obligare;

Addo itaque, *de rebus ad magiſterium ejus pertinentibus.* Non ergo ex omni contractu tenetur exercitor: ſed de eo duntaxat negotio quod geſtum eſt ejus rei gratia, ad quam præpoſitus eſt, ut patet *ex l. 1. §. 7. & ſeqq. h. t.* nam in omnibus contractibus ineundis lex & forma præpoſitionis diligenter obſervanda eſt; inde enim in primis dignoſcitur, an & quatenus ex contractu magiſtri teneatur exercitor: eatenus enim tantum is obligatur, quatenus magiſtro contrahere permiſit *l. 1. §. 12. h. l. 11. §. 5. ff. de inſt. act.* Quæ permiſſio fieri poteſt duobus modis, vel expreſſe, vel tacite;

ex-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

expreſſe, ſi nominatim magiſtro talem contractum inire mandet, vel permittat; tacite, ſi ex ipſa natura rei appareat, etiam neceſſe eſſe, ut aliquo modo contrahi poſſit. V. C. ſi tantum præponam Magiſtrum ad merces in Italiam devehendas, etiam ſimul illa concedere intelligor, ſine quibus hic finis obtineri non poteſt per *l. 2. ff. de juriſdict. l. 11. ff. comm. præd. l. 10. ff. de ſervit. l. 20. §. 1. de ſervit. præd. urb.* proinde hoc caſu etiam nonnulla tacite, & ex conſequentia mandata debent intelligi. Unde cum & injuncta ipſi ſit cura navem conſervare, etiam ſequetur, ut poſſit exercitorem obligare ſumenda pecunia mutua ad ejus refectionem , emtionem armamentorum, nautarum exhibitionem aliaque ſimilia, ſine quibus commode navis navigare nequit. Unde ſi in talem cauſam magiſtro navis mutuam dederim pecuniam, propter tacitum mandatum quod habet magiſter navis, potero convenire exercitorem exercitoria actione *l. 1. §. 8. h. t.*

Huc pertinet quæſtio, ſi magiſter mutuam pecuniam ſumpſerit, an inde hæc actio creditori detur? Diſtinguo, aut magiſter mandatum habet de mutuis pecuniis ſumendis, aut non habet; priori caſu res expedita eſt, videlicet exercitorem obligari; poſteriori vero ſubdiſtinguendum eſt, vel enim magiſter pecuniam mutuatus cavit ſe eam accipere V. C. in refectionem navis, vel illud non cavit; ſi non caverit, non eſt cur detur in exercitorem actio; quamvis magiſter eam in refectionem navis impenderit. ob rationem evidentem, quia namque is qui accepit neque cavit ſe accipere in refectionem, neque is qui dedit, ſe dare in refectionem navis, non videtur adfuiſſe animus exercitorem obligandi. Cæterum ſi non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

impenderit, minus dubii erit, creditori hanc actionem non dari *l.* 1. §. 9. *h. t.*

Altero caſu, quo magiſter cavit ſe accipere in refectionem navis, quamvis non impenderit & creditorem deceperit, inque ſuos uſus converterit pecuniam, datur hæc actio creditori, quia creditor non neceſſe habet probare eam pecuniam magiſtrum in eam cauſam conſumpſiſſe, in quam acceperat, ſed exercitor ſibi imputare debet cur tali uſus fuerit magiſtro *d. l.* 1. §. 9. *h. t.* in actione enim exercitoria ſufficit hæc ſequentia concurrere 1. ut ſciat in hoc ſe credere, cui magiſter quis ſit præpoſitus. 2. Ut res in ea cauſa ſit ut impenſam illam ex gr. navis refectionem deſideret. 3. Ut hac lege credat & præpoſitus eâdem accipiat pecuniam, ut impenderetur in eam rem. 4. Ut non multo major pecunia credita fuerit, qnam ad eam rem eſſet neceſſaria. 5. Ut in eo loco credita ſit pecunia in quo id, propter quod numerabatur, comparari potuerit *l. ult. junct l.* 1. §. 9. *h. t.*

Heredi hanc actionem etiam dari certiſſimum eſt *l.* 4. *§. ult. h. t.*

CAP. IV.

Datur autem exercitoria contra exercitorem navis, qui vel ſervum vel liberum hominem præpoſuit navigationi, *Inſt.* §. 2. *Quod cum eo &c.* ratione enim præponentis perinde eſt, ut diximus, quis præpoſitus ſit, & ſi ratione ipſius propoſiti hic occurrat differentia inter liberum & ſervum, nam ſervus ex contractu civiliter non obligatnr, neque judi-

judicio cum eo agi poteſt *l.* 6. *C. de jud. l.* 14. *ff. de obl. & act.* & ideo ſolus exercitor hic conveniendus eſt actione exercitoria. Si liber ſit, uterque tenetur & qui præpoſuit & qui præpoſitus eſt, habetque creditor electionem utrum cum Magiſtro directo ex contractu agere, an cum iis qui eos propoſuerunt, exercitoria experiri velit *l.* 1. §. 17. *h. t. l.* 6. §. *ult. naut. caup. ſtab.*

Moribus tamen hodiernis magiſter ut & inſtitor nequeunt conveniri eorum nomine quæ alieno nomine tanquam magiſtri vel inſtitores geſſere, teſte *Sim. à Leeuw. Cenſ. For. part.* 1. *lib.* 4. *c.* 3. *n.* 6, 7.

Si autem is qui navem exercet in aliena ſit poteſtate, datur in Patrem vel Dominum actio, & quidem in ſolidum, ſi illorum voluntate navis exerceatur, quod ſpeciale eſt, & ideo receptum, quia ad ſummam rempublicam navium exercitio pertinet, ut ait Ulpianus *l.* 1. §. 20. *h. t.* ubi addit non idem in inſtitoria actione obtinere, quia non idem eſt inſtitorum uſus, ideoque hoc caſu creditores duntaxat in tributum vocabuntur. Si vero ſine voluntate illorum navis exercita ſit, ſed forte tantum id ſcierint, non tamen conſenſerint, vel etiam id ignoraverint, tantum peculio tenus obligabuntur *d. l.* 1. §. 20, 21, 22. *h. t.*

Q. Quid ſi plures ſint qui navem exerceant quomodo ſinguli tenentur? Reſp. Singulos in ſolidum conveniri poſſe, ne in plures adverſarios diſtringatur qui cum uno contraxit *l.* 1. §. *ult. l.* 2, 3. & 4. *ff. h. t.* ſecus eſt ſi plures navem per ſe, non per magiſtrum, exerceant & omnes ſimul contraxerint: tunc enim pro ea tantum parte quam in na-

ve-

ve habet quiſque tenetur actione directa ex contractu *l.* 4 *in princ. h. t.*

Cæterum apud nos & alios receptum eſt, ut ex contractu quoque magiſtri à pluribus conſtituti, ſinguli exercitores non in ſolidum, ſed duntaxat pro parte exercitionis conveniri poſſunt *Grot. lib.* 3. *introd. c.* 1. *&* 2. *de jure belli c.* 11. *n.* 13. *Groenew. de ll. abrog. ad* §. 2. *Inſt. Quod cum eo &c.*

Hanc actionem in heredem etiam dari conſtat *ex l.* 4. §. *ult. h. t.*

Ex diverſo quæri poteſt, an dominus navis vel exercitor poſſit convenire aliquem, qui cum ſuo magiſtro navis contraxiſſet, quod negandum, niſi magiſter navis ceſſerit domino ſuas actiones *l.* 1. §. 18. *h. t. l.* 49. §. 2. *ff. de acquir. vel amitt. poſſ.* niſi tamen magiſter ſit exercitoris ſervus, hunc enim obligationem domino acquiſiturum conſtat. Contra magiſtrum autem navis exercitor duas fere habet actiones, unam quæ eſt mandati, alteram locati, tamen diverſimode: tunc enim mandati aget, quando gratuita eſt opera iſtius magiſtri: locati autem actione quando merces intervenit *l.* 1. §. 18. *h. t.* Si tamen eveniat, ut ob abſentiam forte magiſtri, ad ceſſionem agi cum eo non poſſit, quia iniquum eſt exercitorem non poſſe agere cum eo qui ex re ipſius lucratus eſt, extra ordinem à magiſtratu juvatur, ut convenire eum poſſit *d. l.* 1. §. 18. *h. t.*

C A P.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

C A P. V.

Datur hæc actio ad perſequendum ſolidum, quod actori ex magiſtri contractu debetur; hinc patet eam non præciſe dari ad id quod in contractum venit, ſi enim magiſter jam quædam ſolverit, non datur in id quod jam ſolutum eſt, quamvis illud in contractum venerit, ſed datur ſolummodo ad id quod adhuc debetur & nondum ſolutum eſt, ſecundum *l.* 1. §. 23 24. *h. t.* Præterea ſi forte majorem pecuniam quis crediderit, quam ad eam rem cujus ratione credidit eſſet neceſſaria, non poteſt ſolidum, ſed tantum id quod neceſſarium erat ab exercitore repeti *l. ult. h. t.* Quam legem ſic tamen intelligendam eſſe puto, ſi creditor à magiſtro non deceptus ſit in pretiis rerum emendarum, & tunc non creditoris, ſed exercitoris damnum erit *l.* 1. §. 10. *h. t.* modo & creditor non fuerit negligens in explorando an res tanti eſſet, nam & is qui cum magiſtro contrahit aliquàm etiam hac in parte adhibere debet diligentiam *l. ult. h. t.* Ex ſuperioribus autem conſtat in hanc actionem venire aliud atque aliud debitum, prout vel venditum, vel emptum, vel locatum vel alio modo quid creditum eſt.

C A P. VI.

Illud reſtat inquirendum quam diu duret, & perpetuam eſſe docet *l.* 4. *in fin. h. t.*

CO-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

COROLLARIA.

I.

Filio juſte exheredato nepos ex ſua perſona querelam inofficioſi teſtamenti inſtituere non poteſt.

I I.

In computanda legitima filius exheredatus partem facit.

I I I.

Filius non poteſt legitimam retinere, & à cætera hereditate abſtinere.

I V.

Præterito ſuo herede nihil ex teſtamento debetur.

F I N I S.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 23